

Bibliothèque numérique

medic@

**Piet, Guillaume-Louis - candidat /
Garre, Claude-François - président. -
De empyemate**

1760.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Academiae Regii
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae.***

Cote : ms 2342, n°73



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0073](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0073)



NOBILISSIMO
ILLUSTRISSIMO-QUE VIRO
D. D. SEGUIER,
REGI AB INTIMIS CONSILIIS;
NEC-NON IN SUPREMO SENATU
ADVOCATO CATHOLICO.
Vovet, offert & consecrat obsequentissimus G. L. PIET.

DE EMPYEMATE.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



IRA sanè totius humanæ compagis fabrica. Miranda præsertim supremi conditoris in pectore struendo sedulitas. Alternis suis motibus stupendoque concentu, sanguinis circulum, & auræ vitalis opus peragunt partes internæ. Eximiis hisce hospitibus tutum decebat hospitium; sicque ab injuriis externis hos defendunt ac foveant ossea mœnia.

A

Quæ tamen tali circumdata vallo ab omni periculo vacare ne existimes. Pectori undequaque imminet mala, sic miseranda fert hominis conditio. Mitte tot diversos quibus patet morbos; ad Empyema spectes, tum intus; tum de foris impendet. Nonne si faucia sint sanguifera vasa; sanguinem intra pectus possunt evomere? Quoties pulmonis inter parenchyma nidulatur abscessus? Quin, & si quâcumque de causâ serum in pectoris cava stillaverit, ibi collectum stagnabit. Ex his diversæ totidem Empyematum species. De hoc morbi genere acturi, de thorace partibusque contentis obiter dicemus.

EX ANATOMIA.

PECTUS seu thorax est illa pars trunci quæ à collo ad abdomen usque extenditur. Partes thoracem constituentes, continentis dicuntur & contentæ; ex continentibus, hæ communes nempe cutis & pinguedo; peculiare illæ, scilicet muscoli plures, sternum, costæ, vertebræ dorsales, pleura & diaphragma.

PLURIMI occurrunt circa pectus muscoli, communes dicti, quorum nil ad nos prolixior historia. Proprios inter, primas tenent intercostales, in costarum interficiis conspicui. Horum duplex ordo, externus unus, internus alter. Externi antrorsum prodeunt, interni retrorsum, undè illorum fibræ sese mutuo decussant.

STERNUM in parte anteriori pectoris situm, duabus in adultis conflatur partibus, quarum superior triangularis & latior, longior verò infima, cui pendet cartilago, ob figuram Xyphoides dicta. In utroque latere octo deprehenduntur cavitates, claviculæ unius extremitatem & costarum verarum segmenta cartilaginea excepturæ. Huic inferuntur Mediastinum, & muscoli sternocostales dicti.

COSTÆ in quovis latere numero duodecim, miro modo incurvatæ, extus convexæ, intus concavæ, in veras distinguuntur & spurias. Parti costæ posteriori, condylus dictæ, fulcrum præbent vertebræ, & anterior, in septem superioribus, cum sterno immediatè jungitur, secus verò in aliis, quæ proindè spuriarum nomine fuerunt insignitæ. Intus inferiorem costæ limbum notatur sulcus, arteriæ intercostalis hospitium; in duabus tamen superioribus sulcus ille desideratur.

VERTEBRÆ dorsales duodecim quoque numero posteriorem pectoris partem efformant. Harum corpus anticè situm, posticè apophyses duæ, ex quibus septem. Cartilaginibus mediis inter se uniuntur quæ minores quàm in collo, motui laxiori obstant.

MEMBRANA totum pectoris cavum succingens, intus lævis, dulci rore jugiter stillanti madida, vasis luxurians; extus celluloso textu donata, cujus ope partibus vicinis firmiter adhæret, pleura dicitur.

Duos quasi sacculos efformat ; quorum singulus singulo pulmōi peculiaris est. Ex utriusque applicatione oritur mediastinum , quod proindē , duabus constat membranīs , quæ à se recessæ cameram pericardio , cordi , & vasis majoribus offerunt. Ab arteriis intercostalibus , mammariis & diaphragmaticis irroratur pleura : duæ superveniunt mediastino quibus nomen facit ab aortâ natæ. Venæ ejusdem nominis ; & mediastinæ in cavam exonerantur. Nervos à dorsalibus excipit pleura , à diaphragmaticis & pari vago mediastinum.

DIAPHRAGMA musculus est latissimus , supernè cameratus , abdomen à thorace obliquè separans. Duabus constat partibus , quarum anterior una , superior , extensa & tenuissima ; inferior altera , brevior & priori crassior. Harum fibræ concurrunt ad aponevrosim , quæ centrum nervosum audit. Ab intercostalibus , mammariis & subclaviis supernæ , infernæ ab aortâ , vel trunco cœliaco , & lumbaribus oriuntur arteriæ phrenicæ ; ad cavam , azigos & subclaviam , venæ tendunt. Nervi diaphragmatis duo sunt , phrenici dicti , à vertebralibus colli oriundi ; ramulos quoque ab intercostali & pari vago mutuatur.

IN pectoris cavo includuntur pulmōes , cor & vasa majora ; pergunt quoque extra pleuram œsophagus , ductus thoracicus , aorta , venæque azigos. Pulmōes fursùm fastigiati , externè convexi , deorsùm concavi , propè mediastinum à quo separantur depressi , duo sunt corpora spongiosa ex meris vesiculis , vasisque variis composita. Major dexter tribus lobis confatur , sinister verò duobus tantum ; in minimos utrinquè lobulos numero infinitos postea dividendis ; undè totus ferè vesiculosus pulmo respirationi apprimè disponitur. Pulmonem alluunt arteriæ pulmonaris & bronchialis ; à pari vago & intercostali nervos excipit.

MUSCULUS cavus , conoïdes , in parte mediâ , anteriori & infimâ thoracis situs , duplici pollens motu cujus ope it & redit sanguis , cor nuncupatur. Membranaceo sacco , figuræ suæ analogo , qui pericardium dictus , cor sustinet , defendit , ejusque motui liquore suo favet , includitur.

EX CHIRURGIA.

EMPYEMATIS nomen & morbo & operationi promiscuè tribuitur. Collectio liquidi cujuslibet in thoracis cavo , supra diaphragma , Empyema morbus est. Quæ circa thoracis peripheriam fit incisio , ut latici cuilibet collecto concilietur exitus , Empyema operatio nuncupatur. Liquores varios Empyemati locum dare posse meritò concludas ; fit enim vel sanguine , vel pure , vel seroso humore

A ij

collecto (a). Si vulnus thoracem pervadat, ut vasorum sectionis ; ita & Empyematis causa est frequentior : pleuritidis & peripneumoniae, imò & anginae (b), sequela purulentum Empyema : serosum denique ex variis causis hydropem producentibus. Ast existentiam proclamare, hoc opus, hic labor, Chirurghi munus versatissimi. Semeioticen ergò quàm sedulus evolve, tantùm lucis in morbi genus & in curandi modum præ se laturam.

EMPYEMA quaecumque produnt dyspnœa, sensus gravitatis supra diaphragma, tumens latus affectum, difficilis decubitus in latere sano, vel in utroque, si ambo afficiantur : à præviis causis, variisque symptomatibus peculiare Empyematis deducendæ species.

CONTENTARUM in pectore partium læsione, pro causâ Empyematis sanguinei habitâ (c), signis quæ penitum pectus ferrum subiisse, & faucias esse illas partes indicant, attendere operæ pretium. Apagè specillum, quod nō nocivum saltem inane (d). Adjuncta verò adverte symptomata, & hæc sunt. Sanguinis spumosi per vulnus effluvium ; aëris cum fremitu & comite quodam sibilo exitus ; circa plagam Emphysema. Quæ si vulnere in inferiorem thoracis partem illato eveniant, & libero sanguinis egressui faveat sat patulum vulnus, non sequetur Empyema. Si contra vulnere angusto vel in summo pectore conspicuo, Empyema timeas. Quæ tamen symptomata etsi desunt, non minùs sæpè diffidendum, fucum facere potest sitûs mutatio. His ergo deficientibus, si succedant lymphothimix frequentes, fluxilis pulsus & debilis, oris pallor, tinnitus aurium, sudores frigidi, socio præcipuè uno vel altero è signis communibus, Empyema asserere ne dubites. Quod seriùs ociùsve fiet pro sectis vasis : præceptum si læsa fuerint vasa majora & plura, si pauca & minora tardiùs. Si sola læsa fuerit arteria intercostalis multo lentiori pede grassabuntur symptomata. Quantùm sagacitatis arguat hæc species Empyematis estimates, cujus sæpissimè nuncia seriùs virium prostratio operationem quam-

(a) Nuper vidimus, in magno Parisiensi Xenodochio, tumorem in latere sinistro, juxta cor, duas costas à se dimoventem, collectum humorem mentientem, quem flatulentum esse Empyema docuit scalpellus.

(b) Qui ex anginosis fiunt peripneumonici intra septem dies moriuntur. Quod si ab illis superstites evaserint, fiunt suppurati. *εμπυρετικοί περιπνευμονικοί*. Hip. Aphor x. Lib. v.

(c) Etsi pectoris cavum non subierit acies, non indè sequitur Empyema futurum non esse : si enim suprâ costas profundè serpsit, morâ aciores, facti humores effusi, erosa pleurâ in pectus poterunt delabi, indèque Empyema.

(d) Suadent Boerhavius ejusque Commentator tepidam in pectus aquam injicere, quæ, inquit Commentator, facillè educi poterit ; vel addit, si relinquitur, vasis bibulis venosis resorbebitur. At poterit quoque stagnare, indè pejora orientur mala : quare hanc methodum, aliunde irritam, non admittimus.

cumque rejicit, & insalutato Chirurgiæ limine ægrum de medio tollit. Huic igitur dignoscendæ totis viribus enitendum (a): quæ si constet, primò ad artis normam deligetur arteria.

EMPHYEMATIS sanguinei mala prognosis, majus sanguinis effluvium per vulnus vel signa illius internè collecti subitò apparentia, læsa indicant vasa majora, minuitur cita mors. In utroque latere decumbendi impossibilitas effluxum in utroque denotans malum. Si lentè accesserint ac remissa symptomata, dubia semper prognosis, at speranda salus.

Ex abscessu prægresso & rupto, cujus elapsum pus thorace recipitur, sequitur Empyema purulentum. Hujus ergo prima causa, prægressa inflammatio pleuræ, pulmonum, &c. operosum quidem opus; indè præterita utiliter admodum in mentem revocabit, quilibet Empyema purulentum suspicans. Quotiescumquè in peripneumoniâ incassum adhibita fuere solita remedia, benignæ signa resolutionis intra quartum diem (b) non apparuerunt, nullumque fuit morbi judicium per sputa, sudores, loria, aliasvè dejectiones, suppurationis in pulmone metus est. Fit, si remisso dolore maneat dyspnæa, contingant sitis, febricula, horripilationes vagæ, sæpè repetentes. Facta est deniquè si pertinax sit & sicca tussis, respiratio difficilis, anhelosa, lenta febris, obscurus sentiatur dolor, adveniant sudores, noctù præcipuè, rubeant genæ, oculi fiant cavi, ungues recurvi. Si à viginti diebus (c) circiter ab inceptæ inflammationis tempore, sine purgatione, novus dolor recrudescat, & accedant signa quædam Empyemati propria, rupta est vomica, adest Empyema purulentum.

Si in pleuritide dolor fixus in loco maneat, vel incendatur undè cum febre; pauca sit sputatio, illaque maximè sanguinea, fiet pleuræ suppuratio. Ex iisdem signis ac in peripneumoniâ noscitur fieri. Deniquè si sæpe recurrant horrores, sicca adsit tussis & molesta, dolorifica admodum respiratio, suppurata est pleura, vel externè vel internè; si externè, & apparente intra costas tumore, ibi quidem erit abscessus, non verò Empyema fiet: hic operationi necessitatis locus. Si internè, & intra quatuordecim dies non exscreetur ma-*

* Forest. Lib.
xvi. in Obs. xl.
Scholium.

(a) Immittatur in vulnus charta, limboque inferiori costæ ritè applicetur; si super eam fluat sanguinis rutili quædam copia, infra desinente effluxu, pro certo tenenda arteriæ intercostalis apertura. Hanc methodum suadet Clariss. DD. de la Faye in publ. Lect.

(b) Aph. Boerh. §. 833.

(c) Incertum est hujus rupturæ tempus; accedit enim vel vigesimo, vel quadragésimo, vel sexagesimo die pro intensitate prægressorum symptomatum. Hip. Coac. prænot.

ter'ia (a), neque per aliam viam foras ejiciatur (b), seriùs oclufvè fiet Empyema.

QUAM prognosim deducendam satis indicat partium præstantia. Pleurâ externè suppuratâ minùs imminet periculi quam si internè : Multò magis portendit pulmonis affectio ; sæpè sæpiùs enim ulcere exesus Phitysin parit ; inde mors ad fores. Vel si internè rumpatur vomica, Empyema ferè semper lethale ; attamen quædam salutis spes affulget ; si quidem ab orci faucibus , nonnullos eripuit operatio tempestivè celebrata.

PRÆVII morbi cujuslibet , vel acuti vel chronici , sequela Empyema serosum : ex venæ-sectionibus in morbo inflammatorio nimis repetitis , undè nimia partis rubræ spoliatio ; vel ex serositate de naturâ redundante , undè solidorum relaxatio , atonia , circulationis lentor & sensim in pectus per vasa rupta , vel hiantes horum textûs maculas , feri stillatio ; inde hydrops , seu Empyema serosum.

LATET adeò plerumque hic morbus , ut vix ulla sui proferat indicia. Plures enim probant Historiæ (c) , non nisi post dissecta hoc morbo interemptorum cadavera innotuisse. Interdum tamen monent , de aquâ in unâ vel utrâque thoracis cavitate stagnante , supradictis adjuncta artuum tumefactio , præcipuè brachiorum , os pallidum , quandoquè tumidum , in latere affecto tumor ut plurimum ædematosus , & murmur quoddam in pectore aquæ fluctuantis sonum æmulans. Gravissimus est ille affectus & sæpè sæpiùs artis defectum arguit. Si tamen dignoscatur nondum insigniter læsis visceribus , curationem interdum admittere potest , quod peritioris & prudenter audacis Chirurgiæ munus est (d).

QUANDOQUE prosperam , multisque in casibus necessariam , in aliis pariter prorsus rejiciendam Empyematis operationem autumamus. Si vulnè in parte superiori pectoris inflictò sensim succedant signa collecti sanguinis suprâ diaphragma , (e) celebretur operatio ;

(a) Quicumque pleuritici expectorabilem materiam non excludunt intra quatuordecim dies , iis in Empyema degenerat. Hip. Aph. VIII. Lib. v.

(b) Pleuriticòs saniem per lotium emisisse & sic evasisse narrant Galenus , Lib. v. de locis affect. Scultet. Obs. LI. & alii.

Inflammationi pleuræ in pus convergæ , insignis successit abscessus in alis , & similis imò major propè umbilicum ; per quas vias , lentè quidem , sed salubriter pus in thorace contentum expulit natura. Tulpius Obs. Med. Lib. II. cap. IV.

(c) Schenk. Obs. Med. Lib. II.

(d) Faustum & insigne exemplum operationis in Empyemate seroso celebratæ habuit Clariss. D.D. Morand cujus meminit in Act. Reg. Acad. Chir. Tom. II.

(e) In thorace vulnerato cuidam accidit ut cyathum cruoris plenum minxerit & sic levatus fuerit Fab. de Aquapend. part. II. Lib. II. cap. XLII. quod mirum , non sperandum.

his verò repentè apparentibus, ut potè inutilis recusanda. Si collectum pus constet, nullusque sit resolutionis odor per sputa vel aliam quamcumque viam, anceps sed unicum est in ferro præsidium. Quoad Empyema ferofum, si operam luserunt hydragoga, aliaque apta remedia, ad operationem tanquam unicam salutis anchoram est confugiendum, ritè perpenso ægri statu. Ast attendas ne virium te fallat illa prostratio quæ quandoque à nimîa fluidi copiâ pender. Multis itaque in casibus Celsi crede adagio, *melius est anceps experiri remedium quàm nullum in periculo certo.*

STATUTA operationis necessitate, citò te accingas operi. Locus aptior seligendus, vel enim adversa fiet operatio, vel averfa. Averfa, situ decliviori, ob naturalem super vulnus decubitus, liquidi de novo affluentis evacuationi magis confert, undè priori præponenda. Ægro ritè collocato, exploretur quod interest spatium tertiam inter & quartam è costis spuris, ab infimâ numerando; quod in corpore macilento facilè patet. Si autem obesus sit æger, vel adsit Emphysema validum, brachium secus thoracem flectat, applicetque manum supra cartilaginem xiphoideam: tunc quatuor infra digitos ab inferiori scapulæ angulo, qui investigandus, & quinque inrerectis à spinâ dorsi, hîc erit locus. Acu triquetra vel scalpello operatio perficitur. Promptior illa & minus dolorifica; at tutior hæc & utilior; indè scalpellum præponimus. His positis, Chirurgus & minister cutem digitis apprehensam adducunt, & ab unâ costâ ad aliam fit incisio trium circiter digitorum; cute, membranâ adiposâ & latissimo dorsi, hâc primâ sectione, si fieri possit, unâ incisis; inclinatur corpus ægrum, ut tensiores facti muscoli intercostales, facili negotio incidantur, illæsis supernè arteriâ intercostali, infernè periosteio costæ: tunc transversim & cautè secantur muscoli & pleura.

OPERATIONEM apprimè peractam exprimit liberum collecti liquoris profluvium, nisi adsit pulmonem inter & pleuram cohæsis: quæ si levis, extremo leniter solvenda digito. Ne omnem subitò elimines collectum liquorem, sed gradariæ pulmonis explicationi, diaphragmatique sensim cameraturo consulendum. Restituta respiratione molli ter deligetur vulnus. Immittatur tantum in pectus linteolum cassitium. Ellychniis externè quantum satis, pulvillo crassiori, & emplastro quolibet firmiori, aër externus arceatur. Additis mantili & scapulari, dorso recumbat æger. Venæ sectiones, peractâ operatione, si de pure vel fero agatur, nocituras; si de sanguineo Empyemate, pro ægri viribus, & symptomatum intensitate, celebrandas censemus.

QUINQUE sexvè horis elapsis, pro re natâ, de novo deligandum vulnus. Obsolevit tam laudatus olim injectionum usus. Experientiâ enim constitit utiles minùs quam noxias esse. Si tamen sup-

puratus pulmō, pravā puris indole, smecticum quoddam efflagitet, blandè instilletur decoctum hordei cum melle rosaceo, vel aliud ejusmodi. Quod si non faciat satis, medicamen injicere necesse est. At si liquor impetè actus, læsi pulmonis vesiculas subeat, ægramque pariat tussim; procul esto syringa, & soli naturæ cura committatur. Nil astringentium injectiones in hæmorrhagiâ internâ, nil diluentium si sanguis effusus concreverit; quid frugis dabunt in Empyemate seroso? has ergo in primo tantum casu admittimus, & inviti. Quæ diutius non protrahendæ, quin, harum desine statim atque mutatâ in melius materiæ exeuntis indole, minutâque ejus copiâ.

TUNC cicatrici mediis cognitis intendere tempus est. Arduum opus, vulnere sæpè sæpius in fistulam abeunte. Obstant enim vel humoris constans stillicidium, vel pleuræ divisæ difficilis coalitio, vel costæ affectio. In primo casu confert victus tenuis, situs in altero, in ultimo syderati ossis exfoliatio. Per totum morbi decursum victus sit tenuissimus, aër inter diligendum calefiat, & citò deligetur vulnus.

De Vernone Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. CLAUDIO-FRANCISCO GARRE, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, nec-non Consiliario Chirurgo Regis Ordinario, tueri conabitur GUILLEMUS-LUDOVICUS PIET, Vernoneus, in Almä Universitate Parisiensi, Artium Liberalium Magister, olim Regis exercituum Chirurgus Adjutor, dehinc in re Maritimâ Chirurgus Regis Ordinarius.

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Veneris 12^a Septembris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam
anno R. S. H. 1760.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL, LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobæ, sub signo Olivæ, 1760.